

vrgente necessitate, & quando comper-  
tum sit quod exactissimæ occultæ dili-  
gentiæ non proficiant, huiusmodi nego-  
tia publicè pandantur.



### De Sacra Congregatione Cardina- lium S. Concilij Tridentini Inter- pretum.

S V M M A R I V M.

- 1 **D**e primeua erectione buius S. Con-  
gregationis per Pium IV.
- 2 *De ampliatione per Sextum V.*
- 3 *Quod aliqui male loquuntur, quod Congre-  
gatio se extendat ultra interpretationem.*
- 4 *De causa seu ratione dubiorum, quæ oriuntur super intelligentia decretorum  
Concilij Tridentini.*
- 5 *In quo propriè, ac principaliter versetur  
munus bius Congregationis.*
- 6 *Quod facultas interpretandi sit singula-  
ris, & priuatiua, non autem execu-  
quendi.*
- 7 *De alijs de quibus ista Congregatio agit,  
& præsertim super residentia.*
- 8 *De reductione missarum, vel susceptione  
noui oneris.*
- 9 *De restitutione in integrū aduersus lap-  
sum quinquennij pro reclamatione  
aduersus professionem.*
- 10 *Super dispensationibus ab irregularitate,  
& alijs impedimentis.*
- 11 *De materia matrimoniali.*

- 12 *Non cognoscit causas particulares con-  
tentiosas.*
- 13 *Quam cognitionem habeat in causis bene-  
ficialibus unionum, & concursum.*
- 14 *De visitatione liminum facienda per Epis-  
copos, & de questionibus iurisdictionalibus.*
- 15 *Omnes expeditiones dantur gratis om-  
nino.*
- 16 *Ex quibus constituantur, & de mercede  
Prefecti, & Secretary.*
- 17 *Destyllo, et an exequitionem præbeat suis  
resolutionibus.*

### D I S C . X V .

- 1 **P**ostquam sub Pio IV., per eius Constitutionem, Sacrum Concilium Tridentinum, absolutū, atq; confirmatum, & publicatum fuit; Idem Pontifex, ad aliquos menses, pro eiusdem Concilij exequitione, & obseruantia, nulla interpretationis facta mentione, Congregationem deputauit aliorum Cardinalium, illorum præsertim, qui in ipso Concilio interuerant, ciuique mentis, occasione discussionum habitarum in sessionibus, bene conscienter; Unde propterè, circa ea initia, quamuis Congregatio vñsupta, super exequitione, & obseruantia tantu m, non autem super interpretatione, deputata esset; Adhuc tamen, aliqua oriente dubietate, istæ par-  
tes intreprætand quandoq; (licet rariūs) assumebantur. A

- Cum autem Sextus V., vt celerius, quamplura vtriusque, pontificij, ac prophani principatus negotia, expedirentur, litiumque diuturni, & frequenter scandalosi anfractus tollerentur, per eius Constitutionem B quamplures Cardinalium Congregationes erexerit; Inter illas, istam, ac alteram Inquisitionis, vel
- 2 Sancti Officij, iam erectas, quoque descripsit, eas confirmando, atque aliquas etiam maiores facultates eis tribuendo, huic præsertim illam interpretandi idē Concilium in ijs, quæ concernunt refor-  
P.2.Relat. L matio-

- A. habetur in annot. ad Concil. Trid, lib. 14.  
dijc. I.  
B. Const. 74.

mationem, aliaque indifferentia, non autem fidei catholicæ dogmata, cum in his, interpretationem, sibi, eiusque successoribus referuauerit; Vnde propterea, ista S. Congregatio, fortita est nomen, seu vocabulum Congregationis Cardinalium S. Concilij Interpretum.

Hinc censores, non bene callentes utramque facultatem, tam scilicet super interpretatione, quam etiam antiquorem, super exequitione, ac obseruantia, solam rerum, seu vocabulorum superficiem atténdentes (iuxta frequentiorem consuetudinem huiusmodi generis hominum, qui nihil bene sciendo, cum aliqua superficiali tinctura, omnium mundi rerum seu negotiorum Iudices, aliorum que magistros ac censores se faciunt), scđ. dum concipiunt, quod ista Congregatio, casus particulares, in forma contentiosa disputandos, ac decidendos assūmat, quasi quod eius partes essent solum præstanti oracula in abstracto super aliquius decreti conciliaris interpretatione, quando plurimum intellectuum capax esset; Quod vt alibi aduertitur,) C quan- doque sequi solet, ex ea potissimum causa, quod decreta extensa non tuerunt à perito Iurista forensi, qui haberet loquendi formulas iuridicas, & magis significatiwas ab æquinocis magis alienas, sed à doctissimo quidem ac primario humanarum literarum professo- re, qui elegantiae sermonis, vel grammaticorum regulis obsequi vołuit; Dum (vt præmissum est), antiquior ac origina- ria, ideoque magis propria est altera pars demandandi exequitionem, & obseruantiam Concilij.

Bene verum quod, iuxta frequentio- rem stylum, eius principale institutum versatur in hac parte interpretandi, atque præstanti oracula in abstracto, su- per dubijs, quæ proponantur.

Ulra istas partes, interpretandi, alia- que decernendi, quæ dicti Concilij ob- seruantiam concernunt; Et super qua- parte interpretatiua, alia Congregatio- nes se non intromittunt, vnde propterea ista facultas est priuatiua, altera vero ex-

equationis vel obseruantiae, est cumulatiua cum alijs, & præsertim cum proximè sequenti Congregatione Episcoporum, & Regularium.

De plerisque peculiariter agit, quæ ab eodem Concilio etiam dependentiam habent; Puta, super Episcoporum, alio- rumque beneficiatorum residentia, tam circa licentias super absentia, ex aliqua iusta causa, cum moderationibus tamen contentis in Apostolicis Constitutionibus, illa præsertim Urbani VIII. super re- sidentia Episcoporum, in quarum mo- derationum casu, eadem Congregatio per organum eius Prælecti, vel Secretarij, pontificium oraculum exigere solet; Quam etiam super declarationibus, an- & quando absentia sit licita, vel saltim excusabilis, tam ad effectum fructuū, quam respectuē distributionum quotidianarum, ac pro evitandis poenit contra non residentes, à sacris Canonibus, & ab eodem Concilio inflictis; Vnde propterea illi, qui ex causa studio- rum, vel ex alia iusta causa, à residentia se excusabiles reddere volunt, ab ista Cō- gregatione petunt licentiam, quam ad tē- pūs, cum nimia moderatione pro nego- torum qualitate, concedi solet, quando- que indulgendo etiam distributiones, pro frequentiori tamen stylo reseruādo tertia partem favore interessentium. D

Item cum locorum Ordinarijs, post Conciliū editionem, per Apostolica de- creta prohibita sit missarum reduc- tio ex causa decrescentiae fructuum, ac redi- tū, pro earum celebratione desti- natorum, ac etiam per eiusdem Congre- gationis decretalia, quæ de cele- bratione missarum dicuntur, ob Aposto- licam confirmationem in Bullario quo- que inserta E, certa forma præscripta- fit, super noua susceptione huiusmodi onerum in perpetuum, & præsertim su- per inuestimento pecuniarum in bona- stabilita fructifera, prohibito inuestimē- to in censibus consignatiuis; Idcirco, tam facultatem reducendi onera antiqua, quæ aliam facultatem suscipiendo onera noua, præter dictorum decretorum formam,

ista

C. dicto disc. 1. in annot. ad Concil.

D. iste licentiae insinuantur sub tit. de benef. pluries & sub tit. de Canon. disc. 13. & alibi.

E. Conf. 43. Urban. 8.

ista Congregatio concedit pro qualita- te caularum, scđ. pro moribus regionum.

Item, licet ab eodem Sexto particula- ris Congregatio super negotijs Regula- rum erēcta fuerit, de qua in proximè sequenti discursu; Attamen, quando regu- lares professi utriusque sexus, iuxta formam à Concilio præscriptam, aduersus professionem reclamare velint post quinquennium, vnde propterea necessa- ria sit specialis commissio Papæ, super restitutione in integrum aduersus quin- quennij lapsum, ista commissio concedi non solet Ordinario, & superiori locali, nisi prævia consultaione huius S. Con- gregationis, cui desuper porrectæ suppli- cationes diriguntur consulendæ; Licet quandoque, sed nimium raro, praxis docuerit quod alteri Cōgregationi Re- gularium directæ sint, ideoque in ea dis- putatur de causis restitutione in inte- grum dignis, necne. F

Idem sequitur in illis supplicationi- bus, quæ Papæ porriganter pro dispensa- ratione ab aliqua irregularitate publica, & præsertim ex causa homicidij volun- tarij, quod scilicet supplicationes diri- guntur huius Congregationis consulta- tioni; Quod etiam aliquando sit super illis dispensationibus matrimonialibus, quæ per Datariam concedi non solet, & super alijs arduis ac dubijs gratijs vel negotijs practicatur.

De materia matrimoniali quoque in- ista Congregatione frequenter agi solet, vt potestate dependente à plerisque decretis Conciliaribus, tam circa formam contrahendi, quam circa impedimenta re- sultantia, à vinculo confanguinitatis, vel affinitatis, aut ab altero publicæ ho- nestatis, siue à raptu, cum similibus; De- cidendio etiam casus particulares contentiosos; Vel ex mutuo Partium con- sensu, vbi præsertim quæstio restrin- gatur ad solum punctum iuris; Vel ad inter- pretationem decretorum Concilij; Vel quod Partium in opia ita exigat ut litem in iudicibus Tribunalibus, per trami- tes iuris, & cum tela iudicaria, substine-

re non valeant; Vel quod ita Papa ex al- qua iusta causa mandet, præsertim pro evitandis scandalis, quæ in huiusmodi controvrsijs oriiri solent, quando cum iudicij tela, scđ. formalitate agantur. G

Extra enim istos casus, tam in ista- 12 materia matrimoniali, quam in quibus- cumq; alijs, ad eiusdem Sixtiæ Constitu- tionis præscriptū generaliter Sacré Cō- gregationes, vna Partium reluctantēs, non agunt causas contentiosas, quæ pro- cessum formalem, cum probationibus hincide faciendis exigant, ideoque ad iudices ordinarios, istæ causæ ab eisdem Congregationibus remitti solet; Quod tamen quandoque non practicatur prò Congregationum arbitrio.

Prout in materia beneficiali, non se- 13 ingerit in cognitione caularum particu- larum inter contendentes de pertinen- tia beneficij; Bene tamen in ea frequen- ter agi solet de validitate vñionum, quæ ex forma decretorum conciliarium fiat præbendis canonicalibus vel Ecclesijs parochialibus, aut seminario; Et quandoque Ordinarij, antequam eas faciant, cautiū agendo, ab eadem Congregatio- ne oraculum petant, vt ita firmior actus existat, quamvis neque ista causa sufficiēt aliquando esse soleat; H Ac etiam super validitate concursus in parochialibus; Et generaliter ita in quibuscumque alijs, quæ à conciliarium decretorum inter- pretatione vel obseruantia pendeant.

Eidem Congregationi quoq; incum- bit materia visitationis liminum, quam- 14 Episcopi ad præscriptum Constitu- tionis Sixti V. facere tenentur, istaque oc- casione referre statum Ecclesie, vnde propterea, occasione responsionis, quam desuper reportant, monita eis dantur, su- per quibus prouidere debent; Idq; præ- bere solet occasionem decidendi quæ- stiones iurisdictionales cum Prælatis in- ferioribus super iurisdictione actua, vel cum exemptis super visitatione ac iuri- jurisdictione passiva in concernentibus cu- ram animarum, & alia huiusmodi. L

Generaliter autem, tam in ista, quam- P. 2. Relatio L 2 in G. sub tit. de matrim. disc. 1 & 3. H. sub tit. de benef. disc. 46 & in alijs. I. tit. de paroch. disc. 1. & in alijs. L. de his tit. de iurisd. disc. 4. & seqq. & in Mischell. Eccl. & in annos. ad Conc. Trid.

F. tit. de regular. disc. 41.

in quibuscumq; alijs cardinalitijs Congregationibus, nulla pecuniarum, vel solutionis emolumentorum mixtura dignoscitur, sed omnes expeditiones dantur gratis omnino, adeo ut neque aliquid petere vel recipere liceat per inferiores ministros, & operarios, sub praetextu nudi laboris, vel operis personalis in scriptura; Solumque Partium correspondib; qui negotiorum curam habent, aliqua moderata merces seu recognitio laboris debita est pro negotiorum qualitate, ac pro expensis copistarum, siue pro honorariis Aduocatorum, & Procuratorum, quando eorum operam adhibere qualitas negotij exigat.

In ista Congregatione nulla adest mixtura Praelatorum, uno excepto, qui

<sup>16</sup> secretarij munus gerat, atq; unus Cardinalis eius habet Praefecturam pro subscriptione literarum, & decretorum, ipsiusque Congregationis cura, & directione; Atque huic Praefecto Sedes Apostolica pro recognitione laboris soluit mensura scuta centum auri, ex quibus ipse suppeditat aliquam ratam Secretario, pro mercede scribarum, & operariorum inferiorum, ac pro expensis chartae, & atramenti, ut omnia gratis dentur; Istaque congregatio qualibet hebdomada vel bis in mense pro negotiorum numero vel qualitate in die Sabati hodiè in Apostolico Palatio habetur, prius vero habebatur in domo Cardinalis antiquioris.

Quando super dubio quod proponitur, alias prodierint resolutiones, cum istis procedi solet, atque aliquando absque aliqua discussione rescribi, quod dentur resolutiones alias factæ; Id autem non semper bene procedit, cum solum seruandum sit in decretis, vel declaracionibus generalibus, & in abstracto, quasi per viam legis, non autem in resolutionibus casuum particularium, cum diuersæ singulorum casuum circumstantiae, diuersam exigere valeant resolutionem, ut alibi aduertitur. M

Eius autem resolutionibus vel decretis, ipsa Congregatio exequitionem non præstat, neque in iudicibus se ingerit, sed ad Indices ordinarios, ac Tribunalia contentiosa ecclesiastica, & competentia id pertinet. N

De Sacra Congregatione super negotiis Episcoporum, & Regularium,

### S V M M A R I V M

- <sup>1</sup> **D** E ijsius Congregationis erectione;
- <sup>2</sup> *Quod decretis non deferatur nisi in forma authentica.*
- <sup>3</sup> *De quibus negotijs in extractetur.*
- <sup>4</sup> *Qua die teneatur.*
- <sup>5</sup> *De stylo deputandi Ponentem.*
- <sup>6</sup> *Non admittitur recusatio ex Capite suspcionis, & quid ubi Cardinalis habeat interesse.*
- <sup>7</sup> *Quomodo cognoscat causas.*
- <sup>8</sup> *De stylo seu modo recipiendi informatio-nes, & decidendi.*
- <sup>9</sup> *De modo exequendi resolutiones.*
- <sup>10</sup> *Quomodo procedatur contrà Episcopos.*
- <sup>11</sup> *De eodem, & de deputatione Vicarij Apo-stolicis.*
- <sup>12</sup> *De deputatione Vicarij sede vacante.*
- <sup>13</sup> *De potestate Capituli sede vacante.*
- <sup>14</sup> *De alijs ad materiam negotiorum, que aguntur in hac Congregatione.*
- <sup>15</sup> *De negotijs concernentibus monasteria monialium.*
- <sup>16</sup> *Quod hac negotia dirigantur Episcopis, alijsque locorum Ordinarijs, etiam in Monasterijs exemptis.*
- <sup>17</sup> *Quomodo cognoscantur, cause Regula-rium.*
- <sup>18</sup> *De eodem, & quod cause Regularium tractanda sunt summarie, in forma extra iudiciali.*
- <sup>19</sup> *De stylo capiendi informationes in nego-tijs, & recursibus Regularium.*
- <sup>20</sup> *Ad istam Congregationem priuatiè per-tinent nouæ erectiones, vel suppres-siones Monasteriorum, & conuen-tuum.*
- <sup>21</sup> *De congregazione reformationis Regula-rium.*
- <sup>22</sup> *Concedit ista Congregatio beneplaci-tum super alienationibus.*
- <sup>23</sup> *De alijs negotijs huius Congregationis.*
- <sup>24</sup> *De eodem, & quod cognoscat de negotijs pertinētibus ad alias Congregationes.*
- <sup>25</sup> *Adhibet regulas prudentiales, neque sem-per legalibus se agnoscit subiectam.*
- <sup>26</sup> *Omnes expeditiones dantur gratis.*

DISC.